QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM PARISIENSIVM, DIE IOVIS IIII. MENSIS FEBRVARII, MAGISTRO HENRICO BLACVOD DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE SAPIENTISSIMO.

An dyſpnoea thoracis & pulmonum affectus conſequatur?



N TRIBVS HVMANI CORPORIS VENTRIBVS, quos in animali perfecto ſitu à ſe inuicem diſtare oportuit, medius thorax vt à ſuperiore clauibus, ita phrenibus ab inferiore diſtinctus, ſterno, vertebris, hinc inde coſtis & pluribus muſculis concluſus, in eum vſum, qui vitæ domicilio commodus videretur, conformatus eſt: vt non modo cor mediam in corpore ſedem ſuo iure ſibi vindicans, per ſe calidum, virtutis pulſatilis à vitali facultate diſtinctæ fontem contineret: verùm etiam vt præcipuè ſuo motu, quo cientur pulmones aërem attractum elaborantes ad ſeruandam caloris innati ſymmetriam, ſubſtantiamque ſpiritus animalis nutriendam, voluntatis imperio reſpirationem efficeret. Quæ thoracis partibus illæſis numquam difficilis eſſe poteſt.



T quoniam ex contrariis conflata corporis noſtri ſubſtantia, mutationibus propemodum infinitis obnoxia eſt, thoracis vt & reliquarum partium, optima conſtitutio tum ab internis cauſis vel ortis ab ipſo vel ex aliis partibus, potiſſimùm verò cerebro defluentibus: tum ab externis (quæ non minus quam internæ aliquando graues & pernitioſæ ſunt) per ſe morbo qui fit ſuæ generationis partem inducentibus immutari ſolet. In quibus calor & frigus alienum atque pulmonum mollitudo cum thoracis imbecillitate potiores partes tenent, quarum omnium cognitio ſecurè facturo medicinam neceſſaria eſt.



INC DIVERSARVM thoracis partium diuerſis modis affectarum primò læduntur actiones. ſi enim primariò cordis facultas ab illis pertingatur, quemadmodum ipſa peculiari eius temperamento aptè ſuas exercet functiones, ſic illo pereunte non ſolum cordis ipſius ſed etiam cerebri atque iecoris tentantur officia, vt in ſyncope fit. Sin autem tabe pulmones corrodi & ad ſanguinis reiectionem totiuſve corporis maciem exulcerari, peripneumonia inflammari, empyemate iuxta ipſos in thoracis concauitate pus confici, pleuritide phlegmonen ad membranam coſtas ſuccingentem naſci, aut alio quodam modo thoracis partes, animali facultati, cuius eſt tota reſpiratio, ſubiectas affici contingat, non ita neceſſe eſt cæterarum actionum facultates ſtatim lædi.



NDE CVM SINGVLOS ferè thoracis morbos, inter cætera ſymptomata quibus carere nulli poſſunt, animalium actionum læſio conſequatur, fieri non poſſe videtur quin ſpiritus vel debiliter vel deprauatè operetur vel aliquando prorſus deficere ſentiatur. Imò dum larynx, ventriculus, hepar, lien, aut inteſtina atque adeo vterus in mulieribus affectione quadam grauiùs infeſtantur difficultas reſpirandi non poteſt non adeſſe.



VEMADMODVM AVTEM cum reſpirationis organa rectè ſecundum naturam habent ſpiritus quantitas thoracis diſtentionibus ſimilis eſt: ita ſi non ſeruetur illa reſpirandi proportio, amiſſæ libertatis eſt indicium. vt ſi ab inſtrumentorum anguſtia totum thoracem celeriter & frequenter dilatari neque tamen multum ſpiritus exufflari: ſi à nimio cordis aut pulmonum calore cum magnitudine frequentia & reſpirationis celeritate calidum ſpiritum exufflando produci: ſi à virium imbecillitate thoracis & muſculorum & diaphragmatis motum ſenſim effici: dilatationem haud quaquam magnam eſſe & ferè nullam ab ore exufflationem fieri percipimus.

Ergo dyſpnoea thoracis & pulmonum affectus conſequitur.

Aſſerebat LVTETIÆ HIERONYMVS GVLONIVS Pariſinus, Græcarum literarum Profeſſor Regius, anno ſalutis 1610.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Biart
M. Gulielmus Leſcaillon
M. Petrus Collier
M. Robertus le Secq
M. Simon le Tellier Med. Reg.
M. Richardus Marcetz
M. Philippus Arduinus de S. Iacques
M. Nicolaus Marchant
M. *Franciſcus du Port*

